

EPISTOLA AD CLERICOS II [EpCler II]

¹ Attendamus, omnes clerici, magnum peccatum et ignorantiam quam quidam habent super sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi et sacratissima nomina et verba eius scripta, que sanctificant corpus. ² Scimus quia non potest esse corpus, nisi prius sanctificetur a verbo. ³ Nichil enim habemus et videmus corporaliter in hoc seculo de ipso Altissimo, nisi corpus et sanguinem, nomina et verba, per que facti sumus et redempti *de morte ad vitam* (1 Joa 3,14). ⁴ Omnes autem illi qui ministrant tam sanctissima **mysteria**, considerent intra se, maxime hii qui **indiscrete** ministrant, quam viles sint calices, **corporalia** et linteamina, ubi sacrificatur corpus et sanguis **Domini nostri**. ⁵ Et a multis in locis vilibus **relinquitur**, miserabiliter portatur et indigne sumitur et indiscrete aliis ministratur. ⁶ Nomina etiam et verba eius scripta aliquando pedibus conculcantur, ⁷ quia *animalis homo non percipit ea que Dei sunt* (1 Cor 2,14).

⁸ Non movemur de hiis omnibus pietate, cum ipse pius Dominus in manibus nostris se prebeat, et eum tractemus et sumamus quotidie per os nostrum? ⁹ An ignoramus quia **debemus venire** in manus eius? ¹⁰ Igitur de hiis omnibus et aliis cito et firmiter emendemus; ¹¹ et ubicumque fuerit sanctissimum corpus Domini nostri Jesu Christi illicite collocatum et relictum, removeatur de loco illo et in loco pretioso ponatur et consignetur. ¹² Similiter nomina et verba Domini scripta, ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur et in loco honesto debeant collocari.

¹³ **Et scimus quia** hec omnia **tenemur** super omnia observare **secundum precepta Domini et constitutiones sancte Matris Ecclesie**. ¹⁴ Et qui hoc non **fecerit, sciat**, se **[debere]** coram Domino nostro Jesu Christo in die *iudicii reddere rationem* (cfr. Mt 12,36).

¹⁵ Hoc scriptum, ut melius debeat observari, sciant se benedictos a Domino Deo, qui **ipsum** fecerint exemplari.

Paolazzi verwerpt de leeswijze ministeria voor misteria; beide komen in de handschriften voor. Hij vult de lacune van het archetype in v. 14 aan.